


AB

50B $\frac{11}{\cdot 48}$
6,

Fragment of a decorative border or text on the right edge of the page, featuring stylized, possibly Gothic or similar, script.

5





PARA

CLESIS, ID EST,
 adhortatio ad sanctissimum ac
 saluberrimum Christianæ phi-
 losophiæ studium, ut uidelicet
 euangeliis ac apostolicis lite-
 ris legendis, si non sola,
 saltem prima cura tri-
 bustur. Autore

DES. ERA-
 SMO RO-
 TER.

M O G V N T I A E
 AN. M. D. XXI.

90
 the
 20 folt
 Kt
 line
 Kues
 1/2

AB

50 B $\frac{71}{48}$
 48

Das ist der Pöcher-Damm
 1/2 48

ERASMI RO

TERODAMI PARACLESIS,
id est, adhortatio ad Christianæ
philosophiæ studium.



LACTANTI
us ille Firmia
nus, optime le
ctor, cuius lin
guã unice mi
ratur Hiero
nymus, Chri
stianæ religio
ni patrocina
turus aduer
sus Ethnicos,

cum primis optat sibi dari eloquentiam
Tullianæ proximam, improbum ratus,
opinor, optasse parem. At ego sanè, si qd
huiusmodi uotis proficitur, tantisper dū
mortales omneis ad sanctissimum ac sa
luberrimum Christianæ philosophiæ stu
dium adhortor, ac ueluti classicū canens
euoco, uehementer optarim eloquētiam
mibi dari, longe aliam quàm fuerit Cices
roni. si

Optat
eloqn
riam ef
ficacē.



AB: 50 B 11
2/48

DES. ERAS. ROT. PARACLES,
 roni, si minus picturatā quam fuit illius,
 certe multo magis efficacē. Imò sicui un
 quā talis cōtigit dicēdi uis, qualem non
 omnino sine causa, ueterū poētarū fabu-
 le subnotarūt in Mercurio, qui ceu magi
 ca uirga diuinacq; cithara somnū imittit
 cū libet, & idē adimit, q̄s uult ad inferos
 impellēs, ac rursus ab inferis euocās, aut
 qualē signarūt in Amphione Orpheoq;
 quorum alter rigida mouisse saxa, alter
 quercus & ornos traxisse cithara fingit,
 Aut qualē Ogmio suo tribuebant Galli,
 mortales omneis catenulis à lingua in
 aures infixis, quò uellet circūducētī. Aut
 qualē Marsyæ fabulosa tribuit antiq̄tas.
 Aut certe, ne nimīū diu fabulis immore-
 mur, qualē Socrati tribuit Alcibiades. Pe-
 ricli uetus comœdia, quæ nō aures tantū
 mox peritura uoluptate deliniat, sed quæ
 tenaces aculeos relinquat in animis audi-
 torū, quæ rapiat, quæ trāstformet, quæ mul-
 to aliū dimittat auditorē quam acceperit.
 Timotheus musicus ille nobilis Dorios
 occinens modos, Alexandrū Magnū ad
 belli studiū inflāmare solitus legit. Neq;
 A ñ defuerūt

Mercurius.

Hercules
Celticus.

Marsyas

Socrates
Alcibiades.
Pericles.

Timotheus.

DE ERASMI ROT.

defuerūt olim, q̄ p̄caminiibus, quas Græci uocāt ἐπιφωσάς, nihil ducerēt efficacius. Quid si quod usq̄ esset huiusmodi genus incantamēti, si qua uis harmoniæ, quæ uerū habeat ἐνθουσιασμόν, si qua Pitho uere flexanima, eā mihi cupiā in præsentia sup̄petere, quo rē omnium saluberrimā oībus psuadeā. Quanc̄ illud potius optādū, ut Christus ip̄e cuius negociū agitur, ita citharæ nostræ cordas tēperet, ut hæc cātile na penitus afficiat ac moueat aīmos oīm. Ad qd̄ quidē efficiēdū nihil opus rhetor̄ epicherematis, aut epiphonematis. Hoc qd̄ optamus, nō alia res certius præstet, quā ipsa ueritas, cuius quo simplicior, hoc efficacior est oratio. Ac primū quidē nō libet in præsentia refricare querelā illā, nō omnino nouā, sed heu nimium iustā. & haud scio an unq̄ iustiorē quā hisce tēporibus, cū tā ardētibus animis in sua quisq̄ studia mortales incūbāt, hāc unā Christi philosophiā à nōnullis etiā Christianis rideri, à plerisque negligi, à paucis tractari, sed frigide. nō em̄ dicā insincere. At in cæteris disciplinis omnibus, quas
humana

Ex absurdo
estq̄ transiō
d. Veritatis
thoro, quo
rio: simplici
or, hoc ef
ficatior.

Philoso
phia chri
neglecta.

P A R A C L E S I S.

humana prodidit industria, nihil est tam
 abditū ac retrusum, qđ nō p̄uestigarit in
 genij sagacitas. nihil tā difficile, quod nō
 expugnari labor improbus. Qui fit autē,
 ut hāc unā philosophiā, non his quibus
 par est, animis amplectamur, quotquot
 ipso etiā cognomine Christi nomē profi-
 temur? Platonici, Pythagorici, Academi-
 ci, Stoici, Cynici, Peripatetici, Epicurei,
 suæ quisq; sectæ dogmata, tū penitus ha-
 bēt cognita, tū memoriter tenēt, pro his
 digladiātur illi, uel emoriturū citius, q̄ au-
 toris sui patrociniū deserāt. At cur non
 multo magis tales animos p̄stamus auto-
 ri nostro & principi Christo? Quis non
 uehemēter foedū censeat Aristotelicā p̄fi-
 tētī philosophiā, nescire qđ uir ille sense-
 rit de causis fulminū, de prima materia,
 de infinito? quæ nec cognita felicē, nec
 ignorata reddūt ifelicē. Et nos tot modis
 initiati, tot sacramētis adacti Ch̄ro, nō fo-
 edū ac turpe putamus illi nescire dogma-
 ta, quæ certissimā oībus p̄stent felicitatē?
 Nā quorsum attinet hic cōtētiōe rē exag-
 gerare, cū hoc ipsum ipse cuiusdā demē-

*Il argtm a
 noie rei, seu
 definitioe noi
 Philosoph
 phor̄ gēs
 tilium pe
 ritia.*

*A minori
 ad maius*

*Christias
 norum so
 cordia.*

*Proeasio argfor
 p̄ceditium.*

A iij tia sit,



DES. ERASMI ROT.

Christus.

Peregrina placet
In somniis
i homin
culorū di
storque
mur.

E caelo
uenit.

4
tia sit, Christū cū zenone aut Aristotele,
& huius doctrinā cū illorū, ut modestis-
sime dicā, praeceptiunculis cōferre uelle?
Affingāt illi suę sectæ principibus, quan-
tū possunt, aut quantū libet, Certe solus
hic ē cœlo profectus est doctor, solus cer-
ta docere potuit, cum sit æterna sapiētia.
solus salutaria docuit unicus humanæ sa-
lutis autor. solus absolute præstitit, quic-
qd unquā docuit, solus exhibere potest,
quicqd pmisit. Si quid à Chaldæis aut
Aegyptijs adfertur, id ob hoc ipsum acri-
us auemus cognoscere, qd ē peregrino sit
orbe deportatū, & p̄ciij pars est ē longin-
quo uenisse, & sæpenumero in somnijs
homunculi, ne dicā impostoris, tā anxie
distorquemur, nō solū nullo fructu, sed
magno tēporis dispēdio, ut ne qd addam
grauius, tametsi iā hoc ipsum ut nihil ac-
cedat grauissimū est. At qui sit, ut huius-
modi cupiditas nō itē Christianos titil-
let animos, qbus psuasum ē, id quod res
est, hanc doctrinā non ex Aegypto Syriā
ue, sed ex ipso uenisse cœlo? Cur non ita
nobiscū cogitamus omnes? nouū & ad-
mirabile

P A R A C L E S I S.

mirabile philopsophiæ genus sit, oportet, quod ut traderet mortalibus, is qui deus erat, factus est homo, qui immortalis, factus est mortalis, qui in corde patris erat, sese demisit in terras. Magnū quid dā et haud quāquā triuiale sit, oportet, quicquid illud est, quod ille tā admirandus autor, post tot excellētium philosophorū familias, post tot insignes pphetas, docturus aduenerit. Cur nō hic pia curiositate singula cognoscimus, disquirimus, excutimus? Præsertim cū hoc sapientiæ genus, tā eximiū, ut semel stultā reddiderit uniuersam huius mūdi sapientiā, ex paucis hisce libris, uelut è limpidissimis fontibus, haurire liceat longe minore negotio, quā ex tot uoluminibus spinosis, ex tā immēsis, ijsq̄ inter se pugnātibus interpretū cōmentarijs, Aristotelicā doctrinā, ut ne addā, quanto maiore cū fructu. Nihil em̄ hic necesse est, ut tot anxijs disciplinis instructus accedas. Simplex & cuius paratū est uaticū. Tantū fac adferas piū ac promptū animū, & in primis simplici puraq̄ præditū fide. Tantū esto

A iij docilis,

Præstantia
philosophiæ
Christianæ.

in artem ex
causa effici

te.
Amplificatu

Quibus i
structum
oporteat
esse, qui
Christianas
nam phis

DES. ERASMI ROT.

Philosophiā
discere cu-
piat.

Facilitas.

III argtm
ex contingētib.

Ab idios
tis etiā le-
gi debent
diuinæ li-
teræ.

docilis, & multū in hac philosophiā pro-
mouisti. Ipsa suppeditat doctorem spiri-
tum, qui nulli sese lubentius impartit,
quā simplicibus animis. Illorum disci-
plinæ, præterquā quod falsam promit-
tūt felicitatem, multorū ingenia submo-
uent, ipsa uidelicet præceptorum difficul-
tate. Hæc omnibus ex æquo sese accom-
modat, submittit se paruulis, ad illorum
modulū sese attemperat, lacte illos alens,
ferens, confouens, sustinens, omnia fa-
ciens, donec grandescamus in Christo.
At rursus ita non deest infimis, ut sum-
mis etiam sit admirabilis. Imò quo lon-
gius in huius opes progressus fueris, hoc
longius illius maiestate submoueris. Par-
uis pusilla est, magnis plusquā maxi-
ma. Nullam hæc ætatem, nullum sexum,
nullam fortunam, nullam reiicit conditi-
onem. Sol hic non perinde communis,
& expositus est omnibus, atque Christi
doctrina. Non arceat omnino quēquam,
nisi quis semet arceat, ipse sibi inuidens.
Vehementer enim ab istis dissentio,
quæ nolint ab idiotis legi diuinas literas,
in uulgi

P A R A C L E S I S

in uulgi linguā trāsfusas, siue quasi Christi-
 stus tā iuoluta docuerit, ut uix à pauculis
 theologis possint intelligi, siue quasi religio-
 gionis Christianæ p̄sidiū in hoc sitū sit, si
 nesciat. Regū mysteria cælare fortasse sa-
 tius est, at Christus sua mysteria quā ma-
 xime cupit euulgari. Optarim ut oēs mu-
 lierculæ legāt euangeliū, legant Paulinas
 epistolas. Atq; utinā hæc in oēs oīm lin-
 guas essent transfusa, ut non solū à Scotis
 & Hybernis, sed à Turcis quoq; & Sara-
 cenis legi cognosciq; possint. Primus cer-
 te gradus est, ut cūq; cognoscere. Esto ri-
 derēt multi, at caperent aliq̄t. Utinā hinc
 ad stiuā aliqd decantet agricola, hinc non
 nihil ad radios suos modulet̄ textor, hu-
 iusmodi fabulis itineris tædium leuet ui-
 ator. Ex his sint oīa Christianorū oīm col-
 loga. Tales em̄ fermè sumus, quales sunt
 cotidiane nostræ cōfabulatiōes. Assequat̄
 quisq; q̄d potest, exprimat q̄sq; q̄d potest
 Qui posterior est, nō inuideat p̄cedenti,
 q̄ prior est, inuitet sequentē, nō desperet.
 Cur p̄fessionē oīm cōmunē ad paucos cō-
 trahimus? Neq; em̄ cōsentaneū est, cum

III argtm
 & dissimili

Cognitio

A v baptismus

2. baptisimus ex æquo cōmunis sit Christiano-
 norū oīm, in quo prima Christianæ phi-
 losophiæ p̄fessio est, cū sacramenta cæte-
 ra, deniq; cū præmiū illud immortalitatis
 ad oēs ex æquo ptineat, sola dogmata, in
 pauculos istos esse relegēda, quos hodie
 uulgus theologos aut monachos uocat,
 quos ipsos tamen, tametsi minima qua-
 piam portio sunt ad populum Christiani
 nominis, tamen hos inq; ipsos optarim
 maiorē in modū esse quod audiūt. Vere-
 or enim ne inter theologos reperire liceat
 qui multū absint à suo titulo, hoc est, qui
 terrena loquantur, non diuina, & inter
 monachos, qui Christi paupertatem &
 mundi contemptū profitent̄, plusq; mun-
 dum reperies. Is mihi uere theologus est,
 qui non syllogismis arte contortis, sed af-
 fectu, sed ipso uultu atq; oculis, sed ipsa ui-
 ta doceat aspernandas opes, Christiano
 non esse fidendū huius mundi præsidij, s;
 sed totum oportere pendere de cœlo, nō
 esse retaliandā iniuriā, bene p̄candū ma-
 le precantibus, bene merēdū de male me-
 rentibus, bono oēs uelut eiusdē corporis
 membra

Theologi
 Monachi

*Amplificatio
 inueni argu.*
 Esse quod
 audiūt, id
 est, uocāt.
 Iste audit
 fur, hoc ē
 uocatur.
 Vere the-
 ologus.



P A R A C L E S I S

membra diligendos ac fouēdos ex æquo,
malos tolerandos, si corrigi nequeāt, qui
suis exuuntur bonis, qui depellunt possessi-
onibus, qui lugent, hos beatos esse non
deplorandos, mortē optandā etiā p̄ns, ut
quæ nihil sit aliud quàm traiectus ad im-
mortalitatē, hæc inq̄ & huiusmodi, si qs
afflatus spiritu Christi p̄dicet, inculcet, ad
hæc hortet, inuitet, animet, is demū uere
theologus est, etiā si fossor fuerit aut tex-
tor. Hæc si quis & ipsis præstet moribus,
is deniq; magnus est doctor. Quæ ratioe
intelligāt angeli, fortasse subtilius differat
alius, uel nō Christianus, at illud psuade-
re, ut hic puri ab oībus inq̄namentis uitā
exigamus angelicā, id demum Christiani
theologi munus est. Quod si quis obstre-
pet, hæc esse crassula & idiotica, nihil ali-
ud huic respōderim, nisi quod hæc crassa
Christus p̄cipue docuit, hæc inculcāt apo-
stoli, hæc q̄ntūuis idiotica, tot germane
Christianos, tot insigniū martyriū exami-
na nobis prodiderunt. Hæc inquam illi-
terata, ut ipsis uidetur, philosophia, sum-
mos orbis principes, tot regna, tot gētes,
in suas

*Verus Theo-
logus*

Magnus
doctor.

Munus
theologi
Christia-
ni. *Obiectu*
Christi
doctrina
crassam
uocāt, &
idioticam

DES. ERASMI ROT.

Apostoli
subtilitates
nō docuerunt.

in suas praxit leges, id quod nulla tyrānorū
uis, nulla philosophorū poterat eruditio.
Neque uero repugno, quo minus sapientiā
istā, si uideēt, loquantur iter pfectos. At hoc
certe noīe cōsoleēt sese humile Christiano
rum uulgus, quod istas subtilitates, an sciue-
rint apostoli, uiderint alij, certe non docu-
erunt. Hæc in quibus plebeia, si præstarēt, p sua
sorte principes, si in cōcionibus inculcarēt
sacerdotes, si pueris instillarēt ludimagi-
stri, potius quæ erudita illa, ex Aristotelis &
Auerrois deprompta fontibus, non sic p-
petuis penē bellis tumultuaret undique res
Christiana, nō tā infano studio, pphas ne-
phasque cōgerēdi diuitias feruerēt oīa, nō
tot litibus ubique pstreperent sacra parit ac
pphana. Denique nō titulo tm̄ & ceremoni-
is differremus ab ijs, qui Christi philoso-
phiā nō pfitentur. Si quidē in his tribus hoīm
ordinibus p̄cipue sitū est Christianæ reli-
gionis uel instaurandæ, uel augēdæ nego-
ciū, in principibus, & quæ horū gerūt uices,
magistratibus, in episcopis, & horū uica-
rijs, sacerdotibus, & in ijs, quæ primā illam
ætate ad omnia sequacē instituūt. Quos si
omisso

Principes
Episcopi.
Ludima-
gistri.

P A R A C L E S I S.

omisso suo negotio contingat ex animo
 cōspirare in Christum, nimirū uideremus
 haud ita multis annis uerū quoddā, ut &
 Paulus inqt, *γυνήσ' του* Christianorū genus
 passim emergere, qd Christi philosophiā
 nō ceremonijs tm̄, & ppositionibus, sed
 ipso pectore, totaq; uita referret. His ar-
 mis longe citius pellicerent ad Christi fi-
 dem, Christiani nōi hostes, quā minis
 aut armis. Ut oīa iungamus p̄sidia, nihil
 ipsa ueritate potētius. Platonius non est
 q Platonis libros nō legerit, & theologus
 est, non modo Christianus, q Christi lite-
 ras non legerit? Qui diligit, inqt, me, ser-
 mōes meos seruat, hāc ipse notā p̄scripsit
 Proinde si uere ex animo sumus Christi-
 ani, si uere credimus illū ē cœlo missum,
 ut ea nos doceret, quæ philosophorū sapi-
 entia non poterat, si uere expectamus ab
 eo, qd nulli principes, quantūuis opulens
 ti, donare queūt, cur est nobis quicq; hu-
 ius literis antiquus? Cur oīno quicq; uidet
 eruditū, quod ab huius decretis dissidet?
 Cur in his adorādis literis, idē, ac penē di-
 xerim plus, nobis p̄mittimus, quā in Cæ-
 sareis

γυνήσ' του
 id est, gens
 manum
 hoc est
 uerum.

Veritas
ut *anagn* ut
 simili

DES. ERASMI ROT.

Temeritas
grūda

Philosophia
Christiana, q̄
bus in res
b^o, & qd.

Philosophia
Christi instauratio
bene conditæ
naturæ.

sareis legibus, aut medicorū libris sibi per
mittunt interpretes prophani: ut perinde
quasi in re ludicra uersemur, ita quicquid
in buccā uenerit, cōmentemur, detorque
amus, inuoluamus. Cœlestia dogmata,
ceu Lydiā regulā, ad nostrā pertrahimus
uitam, & dum oībus modis fugimus, ne
parū multa scisse uideamur, quicquid usq̄
est prophanarū literarū huc prouehentes
id quod est in Christiana philosophia p̄ci
puum, non dicam, corrumpimus, sed, qd
negari nō potest, ad paucos homines cō
trahimus rem, qua Christus nihil uoluit
esse cōmunius. Hoc philosophiæ genus
in affectibus sitū uerius, quàm in syllogi
smis, uita est magis q̄ disputatio, afflatus
potius quàm eruditio, trāsformatio magis
quàm ratio. Doctos esse, uix paucis cōtin
git, at nulli non licet esse Christianū, nul
li nō licet esse pium, addā audacter illud,
nulli nō licet esse theologū. Iam facile de
scendit in animos oīm, qd maxime secun
dum naturā est. Quid aut aliud est Chri
sti philosophia, quàm ipse renascētiā uocat
quam instauratio bene conditæ naturæ?
Proinde

P A R A C L E S I S.

Proinde quanquam nemo tradidit hæc absolutius, nemo efficacius quam Christus, tamen permulta reperire licet in ethnicorum libris, quæ cum huius doctrina consentiunt. Nulla fuit unquam tam crassa factio philosophiæ, quæ docuerit pecuniã, hominẽ reddere felicem, nulla tam impudens, quæ in uulgaribus istis honoribus aut uoluptatibus finem boni constituerit. Viderunt Stoici neminem esse sapientem, nisi bonum uirum, uiderunt nihil esse uere bonum aut honestum, præter ueram uirtutem, nihil horrendum aut malum, præter unam turpitudinem. Iniuriam non esse pensandam iniuria, multis modis apud Platonem docet Socrates, item cum immortalis sit anima non esse deplorandos, qui cum fiducia bene actæ uitæ hinc demigrant in uitam feliciorẽ, præterea animam omnibus modis abducendam ab affectibus corporis, & ad ea traducendam, quæ uere sunt, cum non uideantur. Nullam rem nobis suauem esse posse, quæ non aliquo modo contemnatur, in politicis scripsit Aristoteles, una uirtute excepta. Nihil in uita homini suaue

VII arugm
ex totius Ethicis

Stoici

Socrates

Aristoteles

DES. ERASMI ROT.

Epicurus

Christus.
Decreta
Christi p
obsoletis
habemus
Hæc argu
tū faciūt,
at nō Chri
stianum.

suaue esse posse, nisi adsit animus nullius
mali sibi cōsciū, unde ceu fonte scatet uer
ra uoluptas, fateat̃ & Epicurus. Quid qđ
magnā huius doctrinæ partē præstiterē
nō pauci, p̄cipue Socrates, Diogenes, &
Epictetus? At eadē cū tanto plenius & do
cuerit & p̄stiterit Christus, an nō p̄digij
simile, hæc à Christianis uel ignorari, uel
negligi, uel etiā rideri? Si sunt quæ propi
us p̄tinent ad Christianismū, his antiquas
tis, illa sequamur, sin hæc sola sunt, quæ
uere Christianū possint efficere, cur hæc
p̄p̄modū magis p̄obsoletis & abrogatis
habemus, quā libros Mosaicos? Primū
autē est scire qđ docuerit, p̄ximū est p̄stare
Neq̄ enim ob id, opinor, quisq̄ sibi Chri
stianus esse uideatur, si spinosa, molestaq̄
uerborū p̄plexitate, de instātibus, de rela
tiōibus, de qđditatibus ac formalitatibus
disputet, sed si quod Christus docuit et ex
hibuit, id teneat exprimatq̄. Non quod
horū studiū damnem, q̄ in argutis huius
modi non sine laude exercuerūt ingenij
sui uires, nolim enim offendi quenq̄, sed
qđ existimē, & uere, ni fallor, existimo,
puram

P A R A C L E S I S.

puram ac germanam illam Christi philosophiam, non aliunde felicius hauriri, quam ex euangelicis libris, quam ex apostolicis literis, in quibus si quis pie philosophet, oras magis quam argumentas, & transformari studens potius quam armari, is nimirum conperiet nihil esse quod ad hominis felicitatem, nihil quod ad ullam huius vite functionem pertineat, quod in his non sit traditum, discussum, & absolutum. Siue quid discere cupimus, cur alius autor magis placeat quam ipse Christus? Siue uiuendi formam requirimus, cur aliud nobis prius est exemplum, quam archetypus ipse Christus? Siue pharmacum aliquod aduersus molestas animi cupiditates desideramus, cur alibi putamus remedium esse praesentius? Siue cupimus residuum ac languescentem animum exprobrare lectione, quaeso ubi reperias igniculos aequae uiuos & efficaces? Siue uisum est animum ab huius uitae molestiis auocare, cur aliam magis placeat deliciae? Cur statim malumus ex hominum literis Christi sapientiam discere, quam ex ipso Christo? qui quod pollicitus est se sem-

Ex euangelicis & apostolicis literis germana Christi philosophia felicissime hauritur.

Utilitas.

viii argum
at vtiq.

Literarum ho-
minum.

B per no

Christus
non min⁹
nobis p̄
sens est in
euangeliz
cis literis
quàm cū
uiueret.

*IX arg:
ex comparat*

*simile argum
superiori VI.*

Homines

per nobiscū fore usq; ad cōsumationē se-
culi. in his literis præcipuæ præstat, in q-
bus nobis etiānum uiuit, spirat, loq;ur,
penè dixerim, efficacius quàm cum inter
homines uersaretur. Minus uidebant, mi-
mus audiebāt Iudei, quàm tu uides & au-
dis in euāgelicis literis, tantū ut oculos
& aures adferas, quibus ille cerni & audi-
ri possit. Quid tandē hoc rei est? Literas
ab amiculo scriptas, seruamus, exoscula-
mur, circūferimus, iterz atq; iterū relegi-
mus. & tot sunt milia Cristianorū, qui cū
alioqui docti sint, euāgelicos & apostoli-
cos libros, ne legerint qdē unq; in omni
uita. Mahumetæi sua tenent dogmata, Iu-
dæi & hodie ab ips cunabulis suū ediscūt
Mosen. Cur nos nō idē præstamus Chri-
sto? Qui Benedicti profitētur institutū,
regulam ab homine, eoq; penè idiota, &
idiotis scriptā, tenent, ediscunt, imbibūt.
Qui Augustiniani sunt ordinis, autoris
sui regulā callēt. Franciscani francisci sui
traditiunculas adorant, amplectuntur, &
quoquò terrarū se cōtulerint, secū circūfe-
runt, tutos se nō credunt, nisi libellus ad-
sit in sinu.

P A R A C L E S I S.

fit in sinu. Cur illi plus tribuunt regulæ ab
 homine scriptæ, quàm uniuersi Christia
 ni suæ regulæ, quàm omnibus tradidit Chri
 stus, quàm omnes ex æquo professi sunt in
 baptismo? Denique qua (ut sexcentas etiã
 addas) nulla possit esse sanctior? Atque uti
 nã fiat, ut quæ admodum Paulus scripsit.
 Mofi legẽ nõ fuisse gloriosam præ gloria
 succedẽtis euãgelij, ita Christianis omni
 bus euãgelia & apostolorum literæ ita san
 ctæ habeantur, ut hæc præ illis nõ uideantur
 esse sancta. Quid Alberto Magno, quid
 Alexãdro, quid Thomæ, quid Aegidio,
 quid Ricardo, quid Occam alij uelint tri
 buere, per me sane cuique liberum erit, nolim
 enim cuiuscumque imminuere gloriã, aut cum
 inueteratis iã hominum studijs dimicare.
 Sint illa quãtũuis erudita, quãtũuis sub
 tilia, quãtũuis si uelint seraphica, hæc ta
 mẽ certissima fateantur oportet. Paulus
 dijudicari uult spiritus prophetarum, nõ ex
 deo sint. Augustinus oēs omnium libros
 cū iudicio legēs, nihilo plus iuris postu
 lat & suis. In his solis literis, & quod non
 assequor, tñ adoro. Hunc autorem nobis

Deus.

Pium
uotũ.

Theolo
giar eccl̃e.

Ab au
tore.

B ij non schola

DES: ERASMI ROT.

*X argum
ab authorita
te.*

non schola theologorū, sed ipse pater cœlestis, diuinæ uocis testimonio cōprobasuit, idēq; bis, primum ad Iordanem in baptismo, deinde in mōte Thabor in transfiguratiōe, Hic, inquit, est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacitū est, ipsum audite. O solidā autoritatem, uereq; (ut isti uocāt) irrefragabilē. Quid est ipsum audite? Nimirū, hic unicus est doctor, huius unius discipuli sitis. Attollat studijs suū quisq; quantū uolet autorē, hoc de uno citra exceptionē dictū ē Christo. In hunc primū descendit colūba, paterni testimoniū cōprobatrix. Huius spiritum proxime refert Petrus, cui summus ille pastor oues suas semel, iterū, ac tertio pascēdas cōmisit, pascēdas autē haud dubium quin Christianæ doctrinæ pabulo. Hic in Paulo ueluti renatus est, quē ipse uocauit organū electū, & insignē sui nominis præconem. Ioannes quod ē sacro-sancto illo pectoris fonte hauserat, id suis expressit literis. Quid quaeso simile in Scoto (nolim id contumeliæ causa dictū uideri) quid simile in Thoma? Quāquā illius

Petrus.

Paulus.
Ioannes.

Scotus.
Thomas

P A R A C L E S I S.

illius ingeniū admiror, huius etiā uene-
 ror sanctimoniā, cur non in tantis autori-
 bus philosophamur oēs? Quin hos sinu
 circūferimus, hos semp habemus in ma-
 nibus, quin in his uenamur, scrutamur,
 disquirimus assidue? Cur maior uitæ por-
 tio datur Auerroi, quā euangelijs? Cur to-
 ta penē ætas in hoīm decretis, & inter se
 pugnantibus opinionibus cōteritur? Iam
 uero sint illa sanè si libet, sublimiū theolo-
 gorū, At in his certe sit futuri quondā ma-
 gni theologi tyrociniū. Quotq̄t in baptis-
 mo iurauimus in uerba Christi, si tamen
 ex animo iurauimus mox inter ipsos pa-
 rentū cōplexus, & nutricum blanditias,
 Christi dogmatis imbuamur. Nā & altis-
 sime insidet, & tenacissime hæret, q̄d pri-
 mum rudis illa testula combiberit. Chri-
 stum prima sonet balbuties, ex huius euā-
 gelijs prima formet̄ infantia, quē ita cum
 primis tradi cupiā, ut & à pueris ametur.
 In his deinde uersentur studijs, donec taci-
 tis auctibus adolescant in uirū robustū in

Christi
 dogmatis
 imbuendi
 pueri.

Literæ hu-
 manæ.

B iij illis

DES. ERESMI ROT.

Diuinæ.

In has trās
formēur.

In euange
licis & a
postolicis
Iris spirās
est & uiua
Christi i
mago.

XII ex epa
ratis.

illis operæ, ac sæpenuero fit, ut qui per
oēm uitā pro tuēdis illarū decretis ad mor
tem usq; depugnarūt, in ipsa morte ab au
toris sui factiōe desciscāt. At felix ille quē
in hisce literis meditantē mors occupat.
Has igitur toto pectore sitiamus oēs, has
amplectamur, in his iugit̄ uersēmur, has
exosculemur, his demū immoriamur, in
has transformemur, qñquidē abeunt stu
tia in mores. Qui cōseq non potest (quis
aut id nō potest, si modo uelit) is saltē ado
ret hasce literas, ceu thecā illius diuini pes
ctoris. Si qs ostēdat Christi pedibus im
pressum uestigiū, quā pcumbimus Chri
stiani, quā adoramus? At cur non potius
uiuā illius & spirantē imaginē in hisce ue
neramur libris? Si qs Christi tunicā exhi
bet, q nō terrarū puolaturi simus, ut eam
osculari liceat? Atq; ut totā illius supelle
ctilē pferas, nihil erit, qd Christū expres
sius ac uerius repræsentet, quā euangeli
cæ literæ. Ligneā aut saxeā statuā, amore
Christi, gēmis auroq; decoramus. Quin
hæc potius auro gēmisq; & si qd his pci
osius, insigniunt, quæ tanto præsentius
Christum

P A R A C L E S I S.

Christū nobis referūt , quā ulla imagin-
cula: Siqdē illa, qd aliud quā corporis fi-
gurā exprimit: si tñ illius quicq̄ exprimit
at hæ tibi sacrosanctæ mentis illius uiuā
referūt imaginē, ipsumq̄ Christū loquen-
tem, sanantē, morientē, resurgentē, deni-
q̄ totum ita præsentē reddūt, ut minus ui-
surus sis, si corā oculis conspicias.

Euangeliz
cæ literæ.

PARACLESEOS, ID EST, AD
HORTATIONIS AD CHRISTI
ANAE PHILOSOPHIAE
STVDIVM, AVTORE
ERASMO ROTER.
FINIS.

50B ^M
i, 48

MOGVNTIAE EX OFFICINA
IOANNIS SCHOEFFER
AN. M. D. XXI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

PARACLETICUS IN ESTAD
HONORATIONE
AVAR PHILIP
REVOLVIT
DRAVNOY
F. I. M.

25

NOBILITATE IN OFFICIA
JOHANNES BOHNER
AN. M. D. C. L. X. I.


l
l
l
e
C
n
XII
rut



AB:

50 B $\frac{11}{i, 48}$

X 2194053



50B
AE



Handwritten text on the right page of the manuscript, including the number '2' at the top right and various illegible cursive script.

